

sanctae universitati ecclesiae tam futurae quam et praesenti, qualiter nos pro divina contemplatione animarumque parentum nostrorum redemptione, tum ob utriusque vitae perpetuam felicitatem nostrae videlicet et Agnetis reginae nostrae contectalis dilectae, sanctae Missenensi ecclesiae in honore sancti Johannis evangelistae sanctique Donati martyris constructae nec non fratribus inibi deo servientibus ad complendum scilicet eorum stipendiarium victum, tale praedium quale Irmingart in locis Wihingeswich<sup>a)</sup>, Mecelesdorf, Rihdagesrot<sup>b)</sup> dictis obtinuit in nostrum ius atque dominium hereditario iure redactum, situm in pago Svaben dicto et in comitatu comitis Esichonis in proprium tradidimus cum omnibus suis appenditiis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, exitibus et redditibus, viis et inviis, quaesitis et inquirendis cum omni utilitate, quae ullo modo inde poterit provenire ad usum fratrum, ea videlicet ratione, ut praepositus et ceteri praefatae sedis canonici ita libere praedicta teneant bona, ne episcopus ullam potestatem habeat aliquid inde ad suum usum aut servitium tollendi vel usurpandi, aut ulli hominum in beneficium dandi vel praestandi, sed tantummodo ad usum et utilitatem fratrum potestatem habeat prout melius potuerit disponendi vel ordinandi. Et ut haec regiae nostrae traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa per succedentium momenta temporum maneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria, ut infra poterit videri, corroborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum domni Heinrici tertii (L. M.) regis invictissimi. (L. S.)

Theodericus cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognovi.

Datum VI. Non. Jul. anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>. XL. VI., indictione XIV., anno autem domni Heinrici tertii ordinationis eius XVIII., regni vero VIII. Actum Missenae in dei nomine feliciter amen.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem aufgedrückten sehr wohl erhaltenen Siegel des Königs.

Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 13.

a) Winningen bei Aschersleben. (?) b) Möllendorf (Meisdorf?), Ritzgerode im Mansfelder Gebirgskreise des k. pr. Reg.-Bezirks Merseburg.

## No. 27. 1062. 4. Febr.

*K. Heinrich IV. eignet der Stiftskirche das Dorf Rosnetici im Burgwart Treben.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam praesentibus notum esse volumus, qualiter quidam noster fidelis Marcvard nomine pro remedio animae suae villam quandam Rosnetici<sup>a)</sup> dictam, in comitatu Willehalmi marchionis et in burcuuardo Trebeni<sup>b)</sup> vocato sitam ad altare sancti Donati martyris in Misnensi ecclesia constitutum cum omnibus pertinentiis suis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis aquarum-

a) Rössuin bei Weissenfels. b) Treben an der Saale, jetzt nur noch in der zu Dehilitz gehörenden Kirche vorhanden.